

Cum crassiores pauciores habeant poros (Def. 8.) à pluribus auræ æthereæ moleculis impellentur, quippe quæ per poros transitum non inveniunt, & sic fortius movebuntur (per axiom. 1.)

*Corollarium.*

Subtiliores particulae, cum quibus crassiores in eodem motu permixtae sunt, si hæ progrediantur, illæ retrocedere videbuntur.

*Prop. 5.*

*Particulae globi terraquærei crassiores, (terrestres, aqueæ,) intra complexum subtiliorum, (aquæ, æris) mota versus centrum nituntur, subtilioribus à tergo relictis.*

Cùm aër & aqua, intra circumferentiam totius cœli resistentem, moveatur in orbem (per propos. 3.) inclinabuntur ejus particulae versus centrum (per observ.) cumque partes crassiores terræ intra complexum eorum tanquam subtiliorum fortius moveantur (per propos. 4.) citius illæ quàm hæ versus centrum procedent, & sic illæ ad centrum, hæ à centro, moveri videbuntur (per coroll. propos. 4.)

*Corollar. 1.*

Motus crassiorum intra complexum subtiliorum est curvilineus in spatio, simul verò in orbem motis videtur rectus à vertice versus centrum tendens.

*Definitio.*

*Crassiora sic mota dicuntur Gravia; subtiliora relictæ dicuntur Levia.*

*Corollar. 2.*

Gravia descendunt perpendiculariter.

*Prop.*